



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De timore Dei, cap. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

ita dissentias tandem ab eo, qui tot iam annis
toties dissentit à se ipso.

De timore Dei.

C A P. VII.

VISITATOR.

In lib. Vifi. **D**ebent præterea Parochi specialia quædã
vitia, velut adulteriũ, ebrietatẽ, inuidiam
& odium reprehendere, ac indicare quomodo
Deus illa puniuerit. Quo sane factõ indicat,
quòd proculdubio multò durius post hanc
vitã puniturus sit, si hic sese non emẽdauerint.
Atque ita debent homines ad timorẽ Dei, ad
pœnitentiam & contritionẽ allici ac moneri,
debẽtque secura & intemorata vita reprehen-
di: Idcirco & Paulus ait. Rom. 3. Per legẽ venit
solũ cognitio peccati, quia cognitio pecca-
ti nihil aliud est q̃ vera contritio. S V E R. Ad
In Sermone de Mose.
In cap. Ba-
bylo. cap. de
Eucharist.
In Resolu.
conclu. 1.
7. longum iam supra disserui, legem ad me nihil
pertinere, sed Euangelium. L V T. Bene facis,
Suermere, quòd Euangelium potius, quàm le-
gẽ accipis. Nam vetus Testamentũ, per Mo-
sen datũ, promissio est, non remissionis pecca-
torum, seu æternarũ rerum, sed tẽporaliũ, nẽ pe-
terræ Canaam, per quam nemo renouabatur
spiritu, ad hæreditatem cœlestem capescendã.
M A R. An ignoratis, Euangeliũ quoq; voca-
re nos ad pœnitentiam, cuius initium est con-
tritio? Nam quando Deus incipit hominẽ iu-
stificare, prius eum damnat, & quem vult ædifi-
ficare, destruit: quẽ vult sanare, percutit: quem

viuificare, occidit. Sicut 1. Reg. 2. & Deut. 32.
 dicit: Ego occidam, & viuificabo. & c. Hoc au-
 tem facit, quando hominem conterit, & in
 sui suorúmque peccatorum cognitionem hu-
 miliat ac tremefacit, vt dicat miser peccator:
 Non est pax osibus meis à facie peccatorum
 meorú. & c. L V T. Tu verò ignoras, Martine, *In cap. Ba-*
 quàm diues sit homo Christianus, siue baptiza *bylo. cap. de*
 tus qui etiam volens non potest perdere salu- *bap.*
 tem suam, quantiscúnque peccatis, nisi nolit
 credere. Nulla enim peccata eum possunt
 damnare, nisi sola incredulitas: Cætera omnia
 si redeat, vel stet fides in promissionem diui-
 nam, baptizato factã, in mométo absorbentur
 per eandem fidem, imò veritatē Dei, quia seip-
 sum negare non potest, si tu eum cōfessus fue-
 ris, & promittenti fideliter adhæseris. Contri-
 tio autem & peccatorum confessio, deinde &
 satisfactio, & omnia illa excogitata hominum
 studia subito te deserent, & infæliciores red-
 dent, si oblitus veritatis huius diuinæ in ipsis
 tete distenderis. M A R. Ego autem noui ho- *In Resoluti-*
 minem Christianum, Luthere, qui purgato- *conclu. 15.*
 rij pœnas patitur aliquando super terram,
 breuissimo quidem temporis interuallo, sed
 tantas ac tam infernales, quantas nec lingua
 dicere, nec calamus scribere, nec inexpertus
 credere potest: ita vt si perficerentur, aut ad
 mediam horam durarent, imò ad horæ de-
 cimam partem, funditus periret, & ossa om-
 nia in cinerem redigerentur. Hic Deus

apparet horribiliter iratus, & cum eo pariter vniuersa creatura. Tum nulla fuga, nulla consolatio, nec intus, nec foris, sed omnium accusatio. Quis ergo Deum non timeat sic iratum? **E C C L E.** In monasteriis quidem & vniuersitatibus oportuit nos audire & discere, quomodo Christus sit durus & asper iudex: reuera autem solùm modo est mediator inter Deum & hominẽ. Scire enim debemus, quòd Christus est noster dilectus, & amicabilis spõsus, & nos sumus sponsa. Hic nullo opus est medio, sed nos ipsi debemus ita plena fiducia eum accedere, sicut vnquam dilecta sponsa ad suum gratiosum amicabilem maritũ accessit.

In 500. art. art. 242. & 245. In Serm. de fide & operibus, Erfordie. **D O C T.** Visitator noster nõ meminit, quòd ante duodecim annos murmurantibus Papistis, sic docui. Contritio quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationẽ peccatorũ, qua quis recogitat annos suos in amaritudine anime suæ, ponderãdo peccatorũ grauitatem, multitudinem, fœditatẽ, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis: hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem. **S V E R.** Et ego, reclamantibus Papistis, tuam, Doctor, afferens sententiam, contra huius Visitatoris opinionem, sic scripsi: Sentio ego & doceo, pernitosum esse genus docendi, quo intuitu pœnarum & præmiorum, peccatorũ docentur pœnitere. His enim doctrinis coercentur quidem ab opere, & cauteriatam violentãque formant sibi

In Serm. de pœnitentia.

*In Assertio-
ne. art. 6.*

sibi conscientiam seu bonū propositū, & maiore malo occultum illū affectū contēptæ legis, & amati peccati nunquam intelligunt nec obseruāt. **V I S I.** At lōgè fatius est, boni fratres, homines diligenter admoneri, quòd vera fides esse non possit sine seuera ac veraci cōtritione atq; terrore coram Deo, sicut spiritū est. **Psal. 110.** & **Eccl. 1.** Initium sapientiæ timor domini. Et **Esā. vlt. cap.** In quem respicit Deus nisi in tremens & contritum cor? Talia persæpe dici debent, ne homines falsam amplexentur opinionē, & credant se habere fidem, cum tamen adhuc longe ab ea distent: Vbi enim non est cōtritio, ibi solū picta est fides. **S V E R.** Nos autem rectius docuimus, non à dolore cōtritionis, sed ab amore iustitiæ, pœnitentiam inchoandam esse. **L V T.** Etsi non nihil docent, qui ex peccatorum suorum (vt aiunt) collectu & conspectu, contritionem parandam docent: periculose tamen & peruersè docent, dum non ante principia & causas docent contritionis, nempe diuinæ comminationis & promissionis veritatem immobilem ad fidem prouocandam. Satis enim est, si ea peccata doleamus, quæ præsentē conscientia mordent, & facili prospectu memoriæ cognoscuntur. **V I S I.** Quamuis Suermeri mei vique adeo me nunc despiciant, vt ne dignum quidem existiment me, cui diligenter respondere debeant. Et satis est eis, inspicere librum ac rugare nasum, & dicere: Nullus est ibi spiri-

*In li. Visit.
Saxonia.*

*Vbi supra
& serm. de
pœnitent.*

*In cap. Ba-
bylo. de Pœ-
nitentia.*

*In lib. 5. cō-
tra Zwin-
gli. & Oe-
colamp.*

In lib. Vifi. tus. Quid ergo profit, multa scribere? At in altero sæculo sentient, quàm verè dixerim, fidem absque cōtritione cordis ac timore Dei, nihil prodesse, nec veram sed puta esse eiusmodi fidem.

COCLÆVS.

Quorsum hæc de fide & timore Dei tam diuersa & contraria vnius hominis in volucra?
Matt. 18. Huc certe (*Illust. Prin.*) vt ex iis vel sero intelligas, quanto satius ac tutius sit, audire (iuxta doctrinã Christi) Ecclesiam in fide ac timore Dei stabilẽ, quàm frustra, imò perniciosè eum tam diu & audire & sequi blaeteronem, qui propter hæreses plurimas ab Ecclesia damnatus, ab & Apostolico Pastore Satana traditus, ac proinde in reprobum sensum datus, atque à Deo sic derelictus est, vt amplius neque sibi ipsi, neque coniuratis sociis suis consentire queat: non intelligens (vt ait Apostolus) aut saltem non considerans, neq; quæ loquitur, aut scribit, neque de quibus affirmat. Quanto quæso honestius pro damnata habuisses sententia, sextam propositionem in Bulla Apostolica designatam ante annos plus minus octo, quàm per tot interim & rerum & animarum, totiùs que Reipubl. & Germanicæ nationis damnata tam diu expectare, donec nebulo ipse tua, Vifitatorumque tuorum autoritate perterritus, ca

propositione iam tandem reuocata, per contrariam sententiam incompósitos populi mores effrenámque licentiam & in deuotionem, ad pristinum contritionis ac timoris Dei statum nouo libro reducere conetur.

De bonis operibus.

CAP. VIII.

VISITATOR.

Tertius articulus Christianæ vitæ est, bona opera facere, vt est seruare castitatem, diligere proximum, eum iuuare, non mentiri, non fallere, non furari, non occidere, non apetere vindictam, non propria vi vlcisci. Idcirco, decem Præcepta iterum diligenter prædicari debent. In eis enim omnia bona opera continentur. **ECCLE.** An & tu de- *In li. Visit.*
 num, sicut nostri excellenter docti Docto- *In 500 art.*
 res, magistrare vis spiritum sanctum, vt di- *art. 42.*
 cas cum illis, etiam bona opera pertinere *In Ser. Re-*
 ad fidem, & fidem non sufficere ad salutem? *cumben. I. I.*
 At hoc non est verum, quia fides sola, per se *&c.*
 ipsam, absque omni opere, sicut diuinum ver-
 bû sonat, facit nos saluos, & opera nihil omni-
 no ad iustitiã aut salutẽ iuuât. **DOCT.** Ego *In serm. de*
 autem longe aliter prædicaui olim de pœniten- *pœnitentia*
 tia, & falsam istam opinionẽ à me reieci, dicẽs,
 Omni studio debere nos de peccatis dolere,